

CHRISTIANI WILHELMI SCHNEIDERI

MARTINRODA - VINARIENSIS

SANCTIOR. DISCIPLINAR. CVLTORIS ET SOCIETAT. LAT. IENENS. COLLEGAE ORDINARII

EPISTOLA

AD

VIRVM CELEBERRIMVM

IOANNEM CHRISTIANVM

BARTHOLOMAEI

SERENISSIMO DVCI SAXO-VINARIENSI

A BIBLIOTHECA

AVVNCVLVM AETERNVM DEVENERANDVM

CONTINENS

CONSILIVM DE EDENDIS COMMENTARIIS DE VITA

FATIS ET METHODO

WOLFGANGI RATICHII.

IENAE

LITTERIS SCHILLIANIS

CIDIDCCCLV.

~~70.~~

a. CVI. 34.

Coll. diss. A
106, 34

LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF
DRESDEN

EPISCOPAL

VITAE CHRISTIANAE

JOHANNES CHRISTIANUS

DE THEOLOGIA

ET PASTORALIS



AMICUM

CONFERENS

CONSTITUTIO

DE

WOLFGANG

LIBRIS





VIR CELEBERRIME.



EXORSO hoc, quo viuimus saeculo, non solum nouus litterarum studiis splendor accessit, verum multae etiam antea non tanta cura expositae disciplinae auctae fuerunt atque amplificatae. Ad quod litterarum genus iure meritoque referendam esse arbitror illam historiae partem, quae res in eruditorum republica gestas ordine quodam, et, vt dicunt, in systemate proponit. Praeteritis quidem temporibus non nulli etiam fuerunt, qui multum in eo litterarum campo desudarunt. Licet autem optimi viri hanc historiae partem suis lucubrationibus maxime illustrauerint; non tamen eruditorum facta et litterarum fata, eo, quo hodie fieri solet, ordine descripserunt; sed partes tantum quasdam explicandas sibi sumserunt. Nostra autem aetate historia eruditionis non tantum tota indefesso studio et labore virorum in hac palaestra exercitatissimorum in meliorem redacta est ordinem;

sed etiam singulae eius partes longe emendatiores et locupletiores redditae sunt. Si ad eam partem animos conuertimus, quae vitas virorum doctrina celebrium tradit; ingens profecto eorum numerus fuit, qui nostro tempore plurimum operae suae in ea collocarunt. Quamuis vero tot homines docti huic litterarum generi totos se dederint, non tamen illos penitus hunc campum esse emensos, quemlibet mihi daturum credo.

NOSTI, VIR CELEBERRIME, me nuper, nescio qua occasione, in mentionem *methodi Raticianae* incidisse. Cupiditas quaedam in rationes huius methodi inquirendi rapiebat me ad varios alias solertissimos harum rerum indagatores. Sed admodum pauca, eaque non satis curate consignata tam de ipsius WOLFGANGI RATICHII fatis, quam de noua eius mansuetiores tradendi litteras methodo reperiēbam. In primis in maximam rapiebar admirationem, quum *πολυμαθέστατον* MOLLERVM euoluerem et plane nihil de RATICHIO in *Cimbria* eius *litterata* inuenirem. Non igitur ingratum esse harum rerum amantibus, si de fatis et in lucem emissis doctrinae monumentis RATICHII itemque de methodo eius peculiare ederem commentarios. Quam ob causam collegi documenta, quae ad historiam tam ipsius RATICHII, quam methodi eius pertinent, quotquot nancisci mihi contigit. Quia vero optime noui non pauca mihi deesse;

deesse; ab omnibus, qui hanc epistolam legere non dedignantur, etiam atque etiam peto, vt quaecunque de RATICHIO vel edita iam in lucem vel adhuc in tenebris latentia inter reculas suas possident, ad breue mecum tempus communicent. (a)

NE vero lectores credant, eiusmodi commentarios plane inutiles esse; speciminis ergo pauca de RATICHIO praefabor. In lucem editus est WOLFGANGVS RATICHIVS anno MDCLXXI d. XVII. Octobr. *Wilsterae* inter Holfatos prope Gluckstadium. (b) Patre vsus est ANDREA RATICHIO honesto dictae ciuitatis ciue. (c) Quum a teneris annis in litterarum studia incubuisset, Hamburgum se contulit, et in mansuetioribus praesertim litteris operam suam ita fixam collocatamque habuit, vt non multo post ad sublimiores eruditionis partes bene instructus progredi posset. (d) Petiit itaque inclitam illam musarum sedem Rostochium, ibique primo sanctiores litteras coluit, deinde autem, quum linguae aliquo vitio laboraret, omne studium in excogitanda noua ratione, facili negotio varias linguas discendi, consumpsit. Quam ob causam,

A 3

post-

(a) maximam RATICHIANORVM partem possidet vir in historia patria versatissimus M. BINDERVS V. D. M. apud Mattstadienses, in ducatu Vinariensi. vid. Acta-historico-ecclesiastica vol. v. p. 978.

(b) conf. MOTSCHMANNVS in Er-

fordia litterat. erste Fortsetzung p. 67. et das große Leipziger Vniuersal-Lexicon vol. xxx. p. 995. seqq.

(c) MOTSCHMANNVS l. c.

(d) summe reu. IOECHERVS in lexico erudit. edit. recent. tom. III. p. 1918. seqq.

postquam haud exiguam linguae ebraicae notitiam sibi comparauerat, in Angliam atque Hollandiam profectus est, ut ibi in *μαθησει*, hic autem in linguis orientis eo feliciores profectioes faceret.

CVM noua methodo RATICHII nunc eo res peruenerat, ut eam Mauritio principi Arausionensi de meliori commendare, non dubitaret. Princeps aeterna laude dignus RATICHIO larga stipendia destinauerat, si latinae solummodo linguae operam suam dicaret. Quia autem noster, non tam angustis terminis includi illam, volebat; anno MDLXXII ordinibus imperii Romano-Germanici Francofurti ad Moenum, ad eligendum imperatorem congregatis, litteras de methodo sua exhibens, effecit, ut WOLFGANGVS WILHELMVS, comes Palatinus ei quingentos florenos donaret, quibus bibliothecam sibi compararet, et LVDOVICVS, Landgrauus Darmstadiensis CHRISTOPHORO HELVICO et IOACH. IVNGIO professoribus in academia Giessensi praeciperet, ut quae de RATICHIO eiusque noua methodo sentirent, sibi cognitum facerent. (e) Qui, quum ex RATICHIO nouae methodi rationem explorassent, Landgrauio sententiam suam litteris consignatam exhibebant. (f)

VINA-

(e) conf. SCHVPPIVS in praef. ad tr. vom Schulwesen, qui inuenitur in operum eius part. II. p. 83.

(f) iudicium eorum typis exscriptum est sub hac inscriptione: Kurzer Bericht von der didactica oder Lehrkunst WOLFGANG-

GAN-

VINARIAE eo tempore degebat sereniff. DOROTHEA MARIA, IOANNIS, Ducis Vinariensis vidua, quae propensissimam in litterarum studia voluntatem multis iisque illustribus documentis cognitam fecit. Haec munificentissima litterarum altrix Erfurthum doctissimos quosdam eius temporis viros conuocauit, ad D. HOE ab HOENEGG Theologum Dresdensem (g), MENZERVUM professorem Giessensem, MARTINIVM professorem Helmstadiensem, GRAVERVM, BRENDELIVM, WALTHERVM et WOLFIVM in Salana nostra professores, litteras dedit, vt sententiam de RATICHII, quam vocauit, didactica ferrent. (b) Eadem serenissima dux post breue temporis interuallum RATICHIVM nostrum Vinariam inuitauit, ab eo vna cum sorore sua, quae postea CAROLO GVNTHERO comiti Schwarzburgico nupsit, ebraicam ac latinam linguam secundum docendi eius rationem didicit, et quum anno 1617 mortem obiret duo millia florenorum testamento reliquit RATICHIO, ad ne-

go-

GANGI RATICHII, darinnen er Anleitung giebt wie die Sprache, Künste und Wissenschaften, leichter, geschwinder und vollkommlicher als bisber geschèhen fortzupflanzen sind. Gestellt und ans Licht gegeben durch CHRISTOPH. HELVICVM SS. Th. Doct. und IOACH. IVNGIVM Philosophum, beyde Professoren zu Giesen. Gedruckt im Jahr 1613. in 12. pag. 48.

(g) vid. D. IO. ANDR. GLEICHENII annales eccles. Saxon. tom. 11. p. 70. seqq.

(b) Ienenfes edebant anno 1617 c

XIIII. Bericht von der didactica oder Lehrkunst WOLFG. RATICHII, darinnen er Anleitung giebt wie die Sprachen gar leicht und geschwinde können ohne sonderlichen Zwang und Verdruss der Jugend fortgepflanzt werden auf Begehren gestellt und beschrieben durch etliche Professoren der Vniuersität Iena, mit angehenktem kurzen Bericht etlicher Herrn Professoren der löblichen Vniuersität Giesen von derselben materta. Gedruckt zu Iena 1614 in 12. pag. 47.

gotium eius sustentandum. (i) Filius ducis DOROTHEAE MARIAE IOANNES ERNESTVS iunior quam diligentissime commendabat RATICHIVM Ludouico, principi Anhaltino, qui illum anno 1618 Cothenam vocabat. Vix aduenerat ibi noster, quum officinam τυπογραφικὴν admodum vtilem et necessariam esse ad methodum suam declararet. Emta itaque est eiusmodi instructissima officina, quam IOANNES ERNESTVS dux Vinariensis (k) et LVDOVICVS princeps Anhaltinus ex Hollandia Cothenam suis sumtibus adportandam curarunt. Peculiare etiam, quod vocant, collegium a LVDOVICO conatibus Ratichianis destinatum est, quum simul variis communibus mensis eius alumni nutrirentur. (l) Sed post breue temporis interiectum spatium RATICHIVS Cothenam relinquere, vbi per anni vix tempus fixam habuerat sedem, coactus est. Contendit igitur anno 1620 Magdeburgum et per ANDREAM CRAMERV M (m) verbi diuini ministrum et σχολαρχὴν et IO. AVG. WERDENHAGENIVM, qui senatui Magdeburgensi a secretis erat,

eo

(i) KROMAYERVS in der Leichenpredigt auf die Herzogin Dorothea Maria. Jena 1617. in 4.

(k) soli principi Anhaltino hoc opus vindicat cel. IOECHERVS in lexic. erudit. l. c. Cui autem sententiae obstare omnino videntur, quae W. A. SCHROENIVS in der Historie der weimarischen Hof-Buchdruckerey, quae adnexa est dem weimari-

sehen Beytrag zu dem 300iährigen Buchdrucker-Jubiläo. p. 70. §. VII. enarrat.

(l) legi omnino hic meretur BECKMANNVS in der Anhaltischen Historie tom. V. libr. III. cap. I §. XV. p. 484.

(m) clariss. BINDERVS in der Nachricht von dem großen weimarischen Bibelwerk in actis historico-eccles. tom. V. p. 277.

eo rem perduxit, vt anno cldlccxxi de methodo eius senatus consultum promulgaretur. (n) Quia autem RATICHIVS inutiles contentiones cum celeberr. eius temporis rectore scho- lae Magdeburgensis EVENIO habebat (o) ideoque, quem sibi propofuerat finem confequi non poterat; anno cldlccxxii vale Magdeburgo dixit, et quum Dresdae quoque non inueniret portum: (p) Rudolftadium ad laudatam comitis CAROLI GVN- THERI coniugem ANNAM SOPHIAM fecontulit. Vix ad illam accefferat, quum litterarum amatrix precibus moueret comitem, vt anguftis RATICHII rebus in aula fua profpice- ret. Labente vero auctoritate noſtri, in dies noui contra eum hoſtes inſurgebant, eumque impoſtoris nefando nomine in- ſignire, non erubeſcebant. o Theologus Saxonicus D. HOE ab HOENEGG, licet antea in litteris ad ducem DOROTHEAM MARIAM anno cldlccxiii datis RATICHII nouam do- cendi humanitatis ſtudia rationem non penitus ſpreuerit: (q) nihilo tamen minus atro illam anno cldlccxxvi. carbone notabat. (r) Quamuis etiam WILHELMVS IIIII, dux Vina- riensis, et ERNESTVS, qui pii non immerito nomine inſigni- tur, dux Gothanus, RATICHIO fauere deſiſterent; ſereniſſima

B

ta-

(n) cur tam raro occurrat hoc ſenatus Magdeb. ſcriptum publicum indicat MOTSCHMANNVS l. c. p. 73.

(o) vide ſis MOTSCHMANNVM l. c. p. c.

(p) Haec prolixius refert GLEICHEN *annal. ecclef. Saxonie part. II. p. 71.*

(q) GLEICHENIVS in *annal. ecclef. Saxon. p. 71.*

(r) MOTSCHMANNVS l. c. p. 75.

tamen ANNA SOPHIA, quum anno clōlōcxxx, quem sibi iunxerat, comes Schwarzburgicus fata subiisset; nostrum eiusque in labore socium MATTHIAM BRICCIUM non tantum Cranichfeldae et Erfurthi munificentissime nutriuit; verum etiam RATICHII causam comiti de Oxenstirn, regni Suecici cancellario, quanto fieri potuit studio commendauit. Qui per quosdam harum rerum peritos in methodum, quam excogitauerat RATICHIVS denuo inquire, iussit. Quum vero paululum fortuna nostro fauere videretur, apoplexia anno clōlōcxxxiii dextrum corporis eius latus corripiebatur, vt itaque neque ore neque manu, quae animo conceperat reuelare posset. Tandem post tot fati malignitates anno clōlōcxxxv. d. xxvii. Aprilis denuo concussus, fatis aetatis suae anno LXV. est ereptus.

SVPEREST, vt paucis adhuc de ipsa RATICHII methodo, et de scriptis, quae posteritati reliquit, exponam. Ad methodum eius quod spectat, linguarum studia docendi; omnia fere eo rediisse videntur, vt, adhibitis quibusdam cautionis regulis, iuuenibus linguam ex solo vsu addiscendam, deinde vero huic crebriori exercitio grammaticae artis praecepta adiungenda esse, suaderet. Et hac ratione omnium, quotquot dantur, linguarum quemlibet breui interiecto tempore non exiguam sibi acquirere posse scientiam spondebat. Probauit etiam quibusdam illustribus exemplis methodi suae praestantiam,

tiam,

tiam, inter quae primo loco illud ponendum est, quod intra paucos menses laudata dux Vinariensis eiusque soror ex RATICHII ore praeclaram latinae atque ebraicae linguae hauserint notitiam. Licet vero non plane inutilis haec RATICHII opera fuisse videatur; laudatur tamen, ut fieri solet, ab his, culpatur ab illis. Fuerunt vero multi laudum RATICHII praecones, quorum maximus et absolutissimus in his rebus iudex illi contigisse, videtur MORHOFIVS. (s) Non vero, ut summus MORHOFIVS (t) adferit, RATICHIVS methodo sua ad solam linguam latinam respexit; sed multo magis omnibus linguis operam suam dicavit.

DOCTRINAE suae, quae reliquit noster, monumenta maximam partem Cothenis in lucem prodierunt. Plurima eorum recensuerunt S. R. IOECHERVUS (u) MOTSCHMANNVS (x) et auctores *lexici vniuersalis Lipsiensis* (y) quibus addenda sunt tam *germanica* (z) quam *latina grammatica* (a) itemque *Plauti comoediae*. (b)

PLVRA quidem de RATICHIO commentari possem, nisi vererer, ne epistolae limites excederem. Sufficere tamen mihi haec videntur, ut lectores inde colligere possint, quot quantosque

B 2

tosque

(s) in *polyhist. part. 1. libr. 11. cap. x. §. 28. p. m. 453. edit. 1747. excusae.*

(t) l. c. p. 451.

(u) in *gelehrten Lexico vol. 111. p. m. 1920.*

(x) l. c. §. 12. p. 78.

(y) vol. xxx. p. 996.

(z) excusa est *Vinariae 1618. in 8 ap. WEIDNERVM.*

(a) *ibid. eod. in 8.*

(b) hanc ferunt inscriptionem: M. A. PLAVTI comoediae xx. pro didactica RATICHII cum tribus indicibus: Cöthen Anhalt. 1681. in 8. mai.

tosque eo tempore RATICHIVS non in Germania tantum; sed etiam in finitimis prouinciis, rumores excitauerit, illamque operam haud inutilem esse, quae in fatis eius vberius et curatius describendis consumitur.

MIRABERIS autem fortasse VIR CELEBERRIME, quod ad TE potissimum memet conuerterim TEque auctorem suaforemque, in hac re elegerim. Sunt profecto mihi causae iustissimae, quae hoc a me tamquam officium postulant. Quum enim a teneris annis singularem mei curam habuisti, et tot innumera in me collocasti beneficia, quot nunquam remunerari me posse arbitror; fausto hocce die leuidense munusculum TIBI exhibeo. Licet autem TVA in me merita longe maiora sint exigua hac opella; TE tamen ex illa tuto colligere posse, quam grato in TE animo sim, mihi persuadeo. Nihil magis in optatis habeo, quam vt sospitem semper ac incolumem TE benignissimum Numen seruet, quo non vniuersae tantum rei eruditorum publicae; verum etiam sanctiori coetui, cuius nouissimam historiam praeclaro studio illustras, inservire possis. TIBI autem in posterum etiam me habeas commendatissimum. Da-

bam Ienae V Calendar. Martii. Anno
 clcxcclv.



coll. diss. A. 106, misc. 34